IOSEPHI MARIÆ

SVARESII VASIONENSIS EPISCOPI DIATRIBÆ DVÆ,

Quarum Prima.

VNIVERSALIS HISTORIÆ, ſyntaxim ex Auctoribus Græcis nondum editis:

Altera.

Diuerſorum locorum & Fluminum ſynonymiam exhibet.

VITTORIO EMANVELE BIBLIOTECA IN ROMA

LVGDVNI,
Apud GVICHARDVM IVLLIERON, in vico Racemi.

M. DC. LII.

ILLVSTRISSIMO
& Reuerendiſſimo D.
D. IOSEPHO MARIÆ SVARESIO,
EPISCOPO VASIONENSI,
Integerrimo, Doctiſſimoque,
GABRIEL NAVDÆVS
S. P. D.

QVAS *ad me, pro ſumma tua in me humanitate, variis de rebus miſiſti Diatribas, eaſdem nunc,* ANTISTES MERITISSIME, *pro obſequii in te mei ratione, ſimul editas remitto. Indulgebis verò, ſi cùm ab Anagnoſte tuo, non æquali ſemper litterarum ductu exaratæ prodierint, parum etiam ſuis periodis, & commatibus diſtinctæ, aut aliis ornamentis inſtructæ appareant, quæ tu præſens illis impertiri, ex admirabilis polymathiæ tuæ theſauris, nullo negotio potuiſſes. Nam ad me quod attinet, tot negotiis, grauibus illis quidem moleſtiſſimiſque*

in præſentia obruor, vt vixdum ipſis ſufficere valeam; tantum abeſt vt aliena, quamuis chariſsimorum mihi capitum, & tua præſertim, qui mihi multorum loco eſſe conſueuiſti, curare, pro eo ac debeo potuerim. Sane præter conteſtationem, quæ mihi cum RR. PP. Roberto Quatremaires, *&* Franciſco Valgrauio *ex Ordine Diui Benedicti Cœnobitis, non ita dudum intercedit, circa quatuor manuſcriptos codices Romanos, quos illi tanquam fauentes* Pſeudo Gerſenio, *contra* Thomam Kempenſem *proferunt; Ego vero tres illorum penitus falſos, & adulteratos eſſe, quartum vero nihil ad cauſam pertinere, ſtricto iure, aduerſariiſque Prætoris Edictum ſubire iuſsis contendo: Eſt præterea cur in duobus aliis negotiis vires meas experiar, non minus forſan quàm litigioſum iſtud, moleſtiæ in ſe habentibus, operoſiſque. Mihi namque ex amicorum quorundam votis, & grauibus etiam R. P.* Heſeri *litteris, qui ab edita nuper* Kempenſi Dioptra, *maiorem in modum inclaruit, facultas imponitur, iudicandi more meo (quem à veritate & iuſtitia non alienum eſſe, pauci ſunt mihi domeſtica neceſsitudine cõiuncti, qui neſciant) de iis quæ hactenus in* cauſa *illa*

Kem

Kempenſi, *ſiue auctoris librorum de Imitatione Chriſti, variis in diſquiſitionibus vltro citroque editis, dicta ſunt. Et muneris pariter mei, atque inſtituta olim à me*, de Artis Typographicæ inuentione, *diſſertationis eſſe exiſtimaui; vt illa* Ioanni Fauſto, *Ciui Moguntino, contra multorum in me calumnias aſſeratur, qui eum argumentis omnibus, quibus res aliqua certiſsime probari poteſt, innixum, ſuis tamen ſomniis, aut futilibus teſtimoniis, detrudere ab eius gloriæ poſſeſsione, contendunt; nihilque non moliuntur, vt quemadmodum Centauri nubes pro Iunone, ſic ipſi ſtramineos homines, pro vero Typographiæ inuentore, malitiáne dicam, an ſtupore, aut rerum etiam notiſsimarum ignoratione, bonis omnibus & incautis obtrudant. Atque hæc tria negotia, cùm vel ſolius veritatis tuendæ gratia, recipere in me debuiſſem: Certe, vt iſtud tamen libentius facerem, calcar inſuper addidit, & honoris mei quem cœnobitæ illi, teſtimonio meo de tribus eorum MS. vitiatis, adulteratiſque, ad inſitas redacti, furenter impetunt, quamquam ſerpentis illius inſtar qui in officina ferraria*, dentem infregit ſolido. *Et grauiſsimorum hominum efflagitatio, qui mecum quotidie agunt, vt libe-*

rata iam à M S. Romanorum technis & impoſturis cauſa Kempenſi, *quid cenſeam de rationibus, & tibicinibus aliis, quibus hanc veluti domum ruentem fulcire nonnulli contendunt, libenter aperiam. Hoc vero iudicium meum, quanquam mihi non ita blandior, vt momenti alicuius eſſe putem, poſt tot elaboratiſsimas diſceptationes* à Roſueidis, Frontonibus, Carreis, Heſeris, Faraudis, Chiffletiis, *hominibus ſane eruditiſsimis, maxima cum ingenij, diligentia, & iudicij laude feliciter hac de re ſuſceptas; non deſpero tamen, quin mihi etiam in hac ampliſsima meſſe errorum, in tot nugis & leuibus coniecturis quibus, Benedictini illi Aſceta, libros ſuos referciunt euellendis ſpicilegium aliquod aggredienti, ſi non aliunde, ſaltem à veritatis defenſione laus accedat. Quam dum alacriter ſuſcipio, dum enixè contendo, vt è tenebris, ex Lauerna clauſtris, ex Democriti puteo, in claram hominum lucem prodeat; certe hoc vnum mirifice me ab expenſis, moleſtiiſque forenſibus ſolatur & recreat, quòd deuios exceſſus liticularum quærere, crebraque prouocationum diuerticula conſectari, quemadmodum Reuerendi illi cœnobitæ faciunt, litigatoris eſt improbi, fugacis, & ſibi ad pudorem vſque male*

con

conſcij; ſecus enim tota conteſtatio tribus verbis, & qualibet in Baſilica, imo vero ſub vlmo, vel pergula Coridonis, aut Menalcæ ſententiis diiudicari poſſet. Contendo. Siquidem tres illos M S. codices quos Romæ Eminentiſſimo Cardinali à Balneo *exhibuerunt, cùm Pariſiis de excudendo in Regia Lupara, libello de Imitatione Chriſti, ageretur, non manifeſtæ tantum, ſed putidæ, ac miro cum ſtupore excogitatæ falſitatis vitio laborare; Et niſi ex ipſorummet codicum inſpectione, fraus illa in omnium ſtatim oculos incurrat, niſi apertè ſe prodat, multam mihi indici non ſexagenariam, ſed mille librarum, aut grauiorem etiam, ſi Iudicibus ita videatur, non recuſo. Quid igitur morâ, quid effugiis, quid vadimonij deſertione opus eſt? proferantur iterum ex Bibliotheca* Aniciana *quæ Romæ Benedictinorum eſt, eiuſmodi codices, videantur, excutiantur, & qui delectorum ad id muneris hominum iudiciis ſtare noluerit, is demum cauſa cecidiſſe ab omnibus cenſeatur. Vides igitur* Præſul Illuſtriſſime, *vt poſtulatione mea nihil ſit æquius, nihil clarius, vides etiam vt exhibitione codicum illorum, quam ego non vrgere, ſed Benedictini ipſi offerre vltro deberent, nihil ſit facilius; ſed vereor tamen vt*

occultis illorum tergiuerſationibus occurrere, tam ſit arduum mihi & difficile, quàm omnino certum eſt, à veritatis patrocinio, nullis vnquã moleſtiis aut offenſionibus diſcedere. Atque hanc mentem cùm mihi & natura indiderit, & exemplum etiam confirmarit, quod in ſuauiſſima vitæ ratione, quæ mihi tecum Romæ communis extitit, non ſemel dediſti: ex eo profectò fit, vt minus quoque timeam, ne illa tibi non ſummopere probetur, licet cum aliquo forſan rerum tuarum detrimento ſit coniuncta; nam abſque illis occupationibus fuiſſet, eas diligentius ſane, ac maiori cum affectus & obſequij in me tui ſignificatione, curare potuiſſem. Vale Præſul Integerrime, *& quemadmodum hactenus feciſti, amare me & tueri non deſine.* Pariſiis IV. *Kalend. Septembr.*

IOSEPH. MARIA SVARESIVS EPISCOPVS VASIONENSIS,

Clariſſimo, & Eruditiſſimo Viro

D. GABRIELI NAVDÆO, PARISINO,

Eminentiſſimi Cardinalis MAZARINI à Bibliotheca: & Artigiæ in Lemouic. Priori meritiſſimo, F.

Clariſſime & Eruditiſſime Vir.

DVM in Eminentiſſimi Cardinalis *Franciſci Barberini* S.R.E. Vicecancellarij (quem vti Longinum Μουσεῖον περίπατον, vti Marcellum ἀρετὴν ἔμψυχον, vti S. Baſilium *viuas Athenas optimarum artium*, iure dixerim) Bibliotheca inſtructiſſima, & locupletiſſima Romæ, dulci, atque literato fruerer otio; meditabar ipſius auſpicis Hiſtoriam ab orbe condito, ad captam vſque à Turcis Conſtantinoplim, Græcè, Latineque contextam è Græcis auctoribus, qui nec dum Græcè prodierant in lucem, typis edere, eidemque notas attexere cogitabam, vt indicauit in Apibus vrbanis Eruditus, & amicus vir *Leo Allatius*, qui opem quoque ſuam mihi prolixè, benigneque pollicitus fuerat. Et in fronte quidem collocare ſtatueram, Chronographiam *Georgij Syncelli* ab origine mundi ad Diocletianum Auguſtum Græce concinnatam, quæ necdum lucem aſpexerat. Fuit hic Georgius monachus & Abbas, atque Taraſij Patriarchæ Conſtantinopolitani Syncellus;

Eunapius in vita Porphyrij.
Suidas in Μάρκελλος
S. Gregor. Nazian.
anno 1633. p. 168.

æqualis temporum Caroli Magni; Euſebium autem, cuius Chronicon, nihil eſt aliud quàm Chronicon Africani recoctum, inſectatur paſſim (vt obſeruarunt *Ioſephus Scaliger* & *Ioannes Geradus Voſſius*,) cum tamen Euſebij totum illud opus totidem verbis transfuderit in ſua Chronica, quæ inſtituit anno DCCXCII. à Chriſto nato, & XX. ante Caroli Magni exceſſum, indictione prima inuente, ſed morte oppreſſus non perfecit, defecitque in Diocletiano. Iſta vero Chronographia cùm tantum ἀκέφαλος haberetur in Vaticanæ Bibliothecæ Codice Palatino CCXLVI. MS. cuius Character præfert ætatem annorum DC. cum hac inſcriptione, Γεωργίου τοῦ εὐλαβεστάτου Μοναχοῦ καὶ Συγκέλλου γεγονότος Ταρασίου τοῦ Ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως Σύνταξις, ἤτοι Χρονογραφία ἐν ἐπιτομῇ ἀπὸ βασιλείας Ἰουλίου Καίσαρος Ῥωμαίων, & cum hoc principio. Πομπήιος πολιορκίᾳ λάβων τὰ Ἱεροσόλυμα, &c. deſideratur vero ea pars, quæ eſt à conſtitutione mundi, extareque in Regia Bibliotheca Pariſiis Codicem eiuſdem Chronici, cuius titulus eſt. ἐκλογὴ χρονογραφίας συνταγεῖσα ὑπὸ Γεωργίου, didiciſſem à ſupra ſcripto *Scaligero*, & è ſchedula in eodem Codice Palatino inuenta, quamuis *Scaliger* ipſe conqueratur Regium iſtum etiam mutilatum, idque colligat vel è lemmate operis ad hunc modum concepto παρέκβολαι ἀπὸ τοῦ Γεωργίου Συγκέλλου, ſcripſi Lutetiam Pariſiorum ad amicum, vt Codicem illum exſcribi, & ad Eminentiſſimum Cardinalem *Barberinum* tranſmitti curaret, quò priorem partem, quæ deeſt in Vaticano, ſi forte Regius ipſam contineret, explerem. Codex interea Vaticanus, ſeu Palatinus potius, Eminentiſſimi Cardinalis *Barberini* iuſſu exſcriptus, eiuſque Bibliothecæ fuit illatus, ſimulque propter ſimilitudinem operis, & prænominis Codex alius Vaticanus CLIII. cuius Epigraphe ἱστορία Χρονικὴ, ſeu Χρονικὸν σύντομον Γεωργίου μοναχοῦ qui gaudet vocari ἁμαρτωλὸς, quemque Meurſius laudat,

in animaduerſ. ad Euſeb f.4. præfat. & 14.

l. 2. c. 24. de Græc. Scriptor. è Cedreno, Glyca, & Tzetze.

in Michaele Imperatore; in

dat, cuius *πρόλογος* incipit *πολλοὶ μὲν τῶν ἔξω φιλολόγοι*,.&c. *Lexico*
ſimul publici Iuris facere decreueram Latinitate do- *Græco.*
natum, atque notis illuſtratum. *Barbaro in*
✝ Prato-
Enimuero quoniam vtrique Codici Vaticano, ſicut *rium.*
& Regio ſubdebatur Hiſtoria *Theophnis*, qui familiaris *Georgij Syncelli* fuerat, illumque excipiebat, ac ſubſequebatur, pertexens telam Hiſtoricam, ſeu Chronographiam annorum D X X I I X. ab anno primo Imperij Diocletiani ad annum ſecundum Michaelis Trauli, & Theophili eius filij, ſiue ad Michaelem filium Theophili; hicque *Theophanes* Georgius etiam prænominatur & *ἁμάρτωλον* ſe cognominat, fuitque Monachus, & Abbas Agri, quin & Confeſſor, ſiue *ὁμολογήτης*, amicuſque *γνήσιος Georgij Syncelli*, cuius morientis hortatu, & mandato, inceptam ab eo Chronographiam, & perductam ad Diocletianum proſequutus eſt, vt ipſe profitetur in præfatione, delibans è variis ſcriptoribus, & excerpens; Nicetas vero Dauid Paphlago in vita S. Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani hæc de illo memorat, *οὕτω δὲ τὴν μέλλουσαν ἐπ' αὐτὸν* (*Ιγνάτιον* nempe) *ἐμφανησέσθαι χάριν τῆς ἱεραρχίας ὁ θαυμάσιος τοῖς ὁρῶσιν ἐπεδείκνυεν, ὥστε καὶ Θεοφάνην ἐκεῖνον τὸν μέγαν ἐν τοῖς ὑπὲρ εὐσεβείας ἀγῶσι, καὶ πολὺ ἐν σημείοις, καὶ θαύμασι τὸν τῆς καλουμένης Συγριανῆς λέγω μονῆς οἰκιστὴν, ἐπιδεδημηκότι ποτὲ πρὸς αὐτὸν τῷ μακαρίῳ νέῳ ἐπιτυγχάνοντι τὴν δεξιὰν, ὡς λόγος, ἐπιβαλεῖν, καὶ ὡς πατριάρχην αὐτὸν εὐλογεῖν.*) *P. 308. poſt octauam Synodum.*
Quia (inquam) vtrique Codici Vaticano, tam *Georgij Syncelli*, quam *Hamartoli*, annexa erat *Theophanis* Hiſtoria, & porrigebatur ad Michaelem Theophili filium, & nepotem Michaelis Trauli, qui Theophili filius puer imperauit, Hiſtoriam *Theophanis* exſcribi, & in Bibliotheca *Barberina* reponi curaui, eamque in Latinum vertere aggreſſus eram, ſed *Anaſtaſij* Bibliothecarij ſedis Apoſtolicæ, qui natione Græcus, dictione Latinus anno DCCCLX. floruit, excerptionem mihi pollicitus fuit *Petrus Veronenſis* Abbas ſancti Matthæi Ordi-

C 2

nis ſancti Benedicti, compilatam tum è Chronographia *Georgij*, incipientè à Pompeio capiente Hieroſolyma, & deſinente in Diocletianum; tum è Theophanis Chronico inde ad Leonem, qui poſt Michalem Curopalaten, ſeu Rancabum ſancti Ignatij Patriachæ Conſtantinopolitani patrem imperauit, id eſt, ad annum à Chriſto nato DCCCXIV, ſeu DCCXCVI. producto, vti patet ex ipſius *Anaſtaſij* præfatione ad Ioannem Leuitam, quam è codice Caſinenſi exaratam, mihi præmiſerat idem Petrus, cuique præfixa erat Chronographia *Nicephori* Patriarchæ Conſtantinopolitani ab Adam ad Theophilum, ſeu Theophylactum Michaëlis filium. Itaque ab incepta verſione deſtiti, cùm præſertim *Theophanus* Latinum interpretem, auctorem Hiſtoriæ miſcellæ eſſe in his quæ ſcripſit à libro vigeſimo ſeptimo, ſiue à Tyberio ſecundo, annoque Chriſti ortus DLXXI. vſque ad calcem libri vigeſimi quarti, ſiue Leonis ſupraſcripti Armeniaci Imperium, docuiſſet me laudatus *Voſſius*, qui dubitat an hic *Theophanes* ſit idem cum *Theophane Byzantio*, cuius è libris decem excepta de Iuſtino, & Chosroë apud *Photium* exſtant.

myriobiblo Co. LXIV.

Cardinalis quidem *Baronius* Hiſtoriam Miſcellam, quę *Paulo Diacono* Aquileienſi tribuitur, è Græco verſam in Latinum, ab *Anaſtaſio* Bibliothecario vult, & Theophanem iſtum Hiſtoriographum, & Præfectum Agri Monaſterio Confeſſorem, licet Illuſtrem à tribus aliis diſtinguit, & vſque ad Nicephorum, ſeu ad obitum Nicephori Logothetæ, à Maximiniano protelaſſe Hiſtoriam ex Anaſtaſio, & Cedreno tradit.

Tomo I. *Annal. Eccleſ. ad annum* 45. *&* 306.

in not. ad martyrol. Rom. die quarta Decemb.

Sylburgius qui Palatino in Codice CCXLVI. è pagina quinquageſima ſeptima vbi Theophanis exordium eſt, notas margini appinxit, fragmentum eiuſdem de Moammedicæ ſectæ origine, cum verſione ex *Anaſtaſio* Bibliothecario deprompta, emiſit in lucem in Hiſtoria Saracenica, ſicut & R.P. *Dionyſius Petauius* inſeruit aliud, notis ſuis ad *Nicephori* Patriarchæ Conſtantinopolitani Bre-

:

uiarium

uiarium Hiſtoricum ab Imperio Mauritij ad Conſtantini Copronymi æuum, quod anno à Virginis partu CIƆIƆCXVI. publicatum eſt; Quando vero *Scaliger*, & *Voſsius* Georgium *Cedrenum* Monachum, verbatim *Georgij Syncelli*, & *Theophanis* Chronica deſcripſiſſe aſſerunt, & retuliſſe in ſuam ſynopſin, ſiue compendium quod ab initio mundi ad Iſaaci Comneni tempora, & annum à Chriſto nato MLVII, ſeu MLIX exſtat, adiunxiſſeque dumtaxat ea, quæ à morte Nicephori Logothetæ, ſeu à Michaele Theophili filio, ad Iſaacium Comnenum contigerunt, conferre animus erat *Cedreni* Synopſin cum *Georgij Syncelli*, & *Theophanis* Chronicis, quamuis & Synopſis illa breuiatorium manus non effugerit, nam quæ habemus ſunt tantum excerpta; vnde *Leunclauius* ſcribit aliquot Cedreni folia penes ſe fuiſſe, quæ deſunt in editis; & *Scaliger* apud Syncellum, paginam integram reperit; & quædam alia, quæ nuſquam ſunt in editione vulgata, contuleram enim iam Synopſin *Cedreni* editam, cum verſione Latina Xylandri Baſileæ anno MDLXVI. vna cum Georgij Monachi ἁμαρτωλοῦ Chronico συντόμῳ Vaticano CLIII. & diuerſam compereram, huncque ἁμαρτωλὸν cõiecceram anno circiter DCCCCLX. vixiſſe, cùm ſuam, & *Theophanis* ſuæ annexam Hiſtoriam ab orbis incunabulis, protendat ad Nicephorum Phocam. perquirendos igitur cenſebam Codices *Cedreni* exaratos calamo in Bibliotheca Cardinalis *Beſarionis* Venetiis, inſuper *Georgij Monachi* Chronologiam in Bibliotheca *Vrbini*.

in Græca Euſebij παντοδαπῆς ἱστορίας. C. 26.

in Notis ad Annal. Turc.

At quia *Georgius Cedrenus* non à *Georgio* ſolummodò *Syncello*, aut *Theophane*, verum & ab aliis Compendium ſuum conflauit; indagaram in Bibliotheca *Vaticana* ſeriem Hiſtoricam poſt *Theophanis* Chronica Græcè conſcriptam. quæ incipiebat, vbi deſiit ille, nempe à fine Imperij Michaelis Curopalatæ, & rebellione Leonis Armeni, & in quatuor λόγους diſtincta erat; primus Leonis, Michaeliſque ex Amoria, ſeu τραυλοῦ, res

geſtas referebat; ſecundus Theophili eius filij; tertius Michaelis filij Theophili; quartus denique Baſilij Hiſtoriam à Conſtantino nepote ſcriptam, Leonis Alexandrique filiorum Baſilij, & Conſtantini filij Leonis, quin & Romani Lacapeni abſoluebat. Codex numerabatur CLXVII. cuius auctor ſe prodebat cognatũ, éque poſteris Theophanis, iuſſuq; Leonis Imperatoris ſapientiſſimi ad ſcribendum appuliſſe animũ, vnde tres tantum priores λόγους, ipſi adſcriberem, iſque forſitan Leontius eſt Bizantius; & qui ſubſequitur Leonis, Alexandri, Conſtantini, & Romani Hiſtoriographus, fortaſſe *Leo* eſt *Grammaticus*, vel è Caria. vt, vt ſit μείουρος erat Codex, & forte Nicephorum Botoniaten pertingebat, ſicut ille, quem habet R.P. Labbe, nihilominus exſcribendum, & *Barberinæ* Bibliothecæ pluteis inferendum curaui; in Bibliotheca *Sfortiana* Codice LXI. exſtat Chronica rerum geſtarum ab initio mundi vſque ad mortem Romani Imperatoris, vt ex Indice liquet.

Lacunas verò ſupplere, & quæ deerant ſarcire non è *Cedreno* tantum, verum & è *Ioannis Scylitzæ* Curopalatæ Græco textu decreueram; noueram enim excuſos Græcè ſub nomine *Ioannis Curopalatæ* Annales Venetiis anno MDLXX. ſeu totam illam Hiſtoriam eãdem eſſe, quæ *Cedreni*, exceptis paucis foliis in fine, vti *Geſnerus*, & *Caſaubonus* monuerant, exſtareque manuſcriptam Ioannis *Curopalatæ* filij magni Drungarii *Villæ* Ciliciæ, (qui floruit ætate Pſelli, Iſaacíque Comneni) titulo, ſed reuera *Cedreni* in ſancti Saluatoris *Bibliotheca*, docuerat me *Fazellus*, ſicut & index Bibliothecæ *Sfortianæ* in ea Codicem LXV. cum Epigraphe Γεωργίου τοῦ Σκυλίτζη Χρόνικα αὐτοκρατόρων Ρωμαίων, καὶ ἄλλων præfert, ab Auguſto ad Alexium vſque Comnenum morientem, Ioannem Scylacem *Geſnerus*, Ioannem Curopalaten Scilicem *Volaterranus* vocant, ſed Σκυλίτζην diſertè *Theodorus Balſamon* in Canonem tertium Concilij

in Bibliot.

in notis ad Strabon. lib. 17.

fortè Βιγλῶν

poſt decad. lib. 6. c. 1. pag. 376.

Hiſtor. Sicul. Pag. 307. & 435.

Nicæni

Nicæni, & Canonem LXII. Synodi Trullanæ, laudans eius Chronicon vbi de ſe Syncello, & fratre Imperatoris Domini Leonis Sapientis Patriarcha Conſtantinopolitano, & de Theophylacto filio Imperatoris Domini Romani Lacapeni itidem Patriarcha agit; quin & Ioannis Zonaræ, vulgo monachi Notariorum Primicerii, & Drungarii Magni βιγλων, ſeu vigilum, qui ſub Imperatoribus Michaele Parapinace, Nicephoro Botaniate, Alexio, & Calo Ioanne Comnenis vixit, ἐπιτομὴν χρονικῶν ἀπὸ τ̃ κοσμοποιΐας, cuius *Ioannes Cuſpinianus* Plagiarius dicitur, cuiuſque Codices manuſcripti LXII. & LXIV in *Sfortiana* Bibliotheca repeℓriuntur, è quibus hic à Diocletiano ad Alexium Comnenum pergit; prætereaque in loculis Cardinalis *Beſarionis*, exſtant Venetiis, & editi typis è verſione Volfii Baſileæ MDLVII. *Andr. Theuet, lib. 1. vir. Illuſt. c. 15.*

Inſuper Annales *Michaelis Glycæ* Siculi, qui ducuntur à primordiis orbis, ad obitum vſque Alexii Comneni, & Latinè tantum habentur editi Baſileæ MDLXXII. cum Appendice Ioannis *Leunclauij* Interpretis ad captam vſque à Turcis Conſtantinopolim; vnde Latinè tantum ſcripſiſſe Glycam R. P. *Conſtantinus Caietanus* hallucinatus eſt. obſeruandum quoque grauiter erraſſe *Ioannem Meurſium*, qui nobis tanquam Theodori Metochitæ fœtum, obſtruſit cum Latina ſua interpretatione librum tertium Annalium *Glycæ* Lugduni Batauorum anno MDCXIIX. à C. Iulio Cæſare ad Conſtantinum Magn. & emiſit in lucem acceptum à R. P. Ioanne Schotto, idque liquebit illicò conferenti i Michaelis *Sicadiotis*, forte *Siceliotis*, & *Glycæ* Hiſtoria in papyro exſtat Venetiis in Cardinalis *Beſarionis* Bibliotheca. Itaque è Georgio *Cedreno*, Ioanne *Scylitza*, Ioanne *Zonara*, & Michaele *Glyca* animus erat cõtexere ſeriem Hiſtoricam, excerpendo Ioannis *Scylitzæ* eam partem, quæ Georgium *Cedrenum*, deſinentem excipit, ab anno Epochæ Chriſtianæ MLVII. ad MLXXXI.

& Alexij Comneni inaugurationem; ſicut & Ioannis Zonaræ aliam ſubſequentem, & Michaelis Glycæ ad obitum vſque Alexij, & annum MCXVIII. additis etiam libris octo, poſterioribus Annæ *Comnenæ* de vita Patris ſui Alexii Auguſti, quos ineditos & è Codice Vaticano exſcriptos *Barberinam* in Bibliothecam recondideram: ſucceſſiſſet Ioannis *Baſilici Cinnami* Hiſtoria Græca, complexa vitas Ioannis & Iſaaci Comnenorum Imperatorum Patris & filii, mihi à Clariſſimo viro Petro *Arcudio* indicata, & promiſſa: deinde vero *Nicetæ* Acuminati Choniatæ Græco-Barbaram Hiſtoriam manuſcriptam Auguſtæ Vindelicorum, qua vſus eſt in Notis ſuis *Vvolfius*, cuiuſque indicium debebã *Cruſio*, ſubiungere optabam, & σφάλματα *Vvolfij* in Hiſtoriam *Nicetæ* Græcam editam, ab anno MCXVIII. ad annum MCCIV. quo Franci Conſtantinopolim in ſuam redegere ditionem; annotare. Certe Hiſtoria ab Adam ad Conſtantinopolis captiuitatem à Latinis, in papyro antiqua, ſeu *Coniati* exſtat manuſcripta in Bibliotheca Cardinalis *Beſaronis* Venetiis. Attexuiſſem præterea *Georgium Pachymerem* è Codice *Barberino* manuſcripto, ſed *Regij*, *Auguſtani*, & *Veneti* in papyro, varias lectiones expetiiſſem. Demumque Coronidis vice, impoſuiſſem *Theodori Scipi* Spartani Græcam Hiſtoriam de Conſtantinopli à Turcis expugnata, quæ Hydrunti apud *Ladiſlaum Marci* deliteſcebat. Ne verò hiaret luxata & interrupta Hiſtoria, ex *Annæ Comnenæ* prioribus libris octo, editis Auguſtæ Vindelicorum ab *Hoeſchelio*, anno MDCX: è *Conſtantini Manaſſis* excuſis politicis verſibus publicatis cura Meurſii Leidæ MDCXVI. & manuſcriptis in Bibliotheca Cardinalis *Beſarionis* Venetiis; è *Ioannis Tzetzæ* Hiſtoria, & *Georgij Logothetæ*, ſiue *Acropolitæ* Chronico edito à Theodoro Douſa Leidæ MDCXIV. è *Georgij Codini* Curopalatæ Chronico, & Hiſtoria Conſtantinopolitana in folio Græcè, ac Latinè; è *Nicephori Gregoræ* Hiſtoria publici iuris facta à *Vvolfio*

in Turca Græcia.

Vvolſio Baſileæ MDLXII. & manuſcripta in pergameno ſeu membrana, & corio rubeo inuoluta in Bibliotheca Cardinalis *Beſarionis*; è *Ioannis Cantacuzeni*, ſeu *Ioſephi Chriſtoduli* Hiſtoria, ab Andronico iuniore ad annum MCCCXLVIII. *Pontani* labore in publicum emiſſa Ingolſtadij MDCIII. *Laonicique Chalcocondylæ* Hiſtoria Baſileæ à *Clauſero* anno MDLXII. & Geneuæ MDCXV. promulgata Græcè, ac Latinè, & Gallicè à *Blaſio Vigenerio*, & è *Georgij Phrantzis* Protoueſtiarij Hiſtoria Ingolſtadij Latinè tantum à *Pontano* publicata, delibaſſem, quæ viſa forent ſcitu digniora, & omiſſa in auctoribus à me euulgatis; ſicut & conſtitueram *Georgius Syncello* & *Theophani* inſerere παρεκβόλας, ſeu reliquias, & fruſtula tam *Ioannis Antiochenſis*, quam *Gazenſis* περὶ Ἀρχαιολογίας, qui mihi noti ex Salmaſij laude; prætereà notas aſſuere, atque παραλειπόμενα decerpta ex Hiſtoria Romanorum ab Ænea ad Imperatorem Conſtantinum, quæ in Codice *Sfortiano* LXII. (niſi ſit *Zonaræ* χρονικῶν Tomus primus) exſtat; & è Theodori Anagnoſtæ Conſtantinopolitani Hiſtoria Eccleſiaſtica, cuius librorum duorum Collectanea ſeu fragmenta, Bibliothecæ Patrum ſunt intexta, & legitur Græcè caput ποσαχὶς αὖ πίστεως ἔκθεσις, in Codice Vaticano MDCLV. p. σλγ'. manuſcriptum, quin ipſa Hiſtoria calamo exarata eſt in *Sfortiano* Codice XCVII. niſi fallit index; Prætereà è Chronico, atque Hiſtoria *Euſebij*, *Philoſtorgij*, *Theodoreti*, *Sozomeni*, *Hermiæ*, *Socratis*, & *Euagrij*, ex excerptis, & *Eclogis de Legationibus*, Hiſtoriis *Zozimi*, & *Suidæ*, è Compendiis *Olympiodori*, *Candidi Iſauri*, *Theophanis Byzantij*, & è variis libris *Heſychij* apud Photium, & *Malaxi*, ac *Georgij Codini*, qui omnes ſcriptores Græcè atque Latinè quà manuſcripti, quà editi paſſim reperiuntur. Ad hæc ex *Agathiæ* Hiſtoria Græcè promulgata à Vvlcanio Leidæ MDXCIV. & *Procopij* Græcè item ab Hoeſchelio Auguſtæ Vindelicorum MDCVIII. & Ἀνεκδότοις ab *Alemano* Lugduni Græco-

Latinè CIƆ IƆXXIII; E *Theophylacti Simocattæ* de rebus geſtis Mauritij Imperatoris, quæ Ingolſtadij à *Pontano* Græcè, Latinéque in lucem prodiit, narratione, anno MDCIV. & manuſcripta exſtat in Bibliotheca Cardinalis *Beſarionis*, in papyro; è *Nicephori* Patriarchæ Conſtantinopolitani Breuiario ſupraſcripto, Chronicoque *Alexandrino*, ſeu Faſtis Siculis productis in lucem à Radero, Monachij Græcè, Latinéque MDCXV. rurſuſque in folio, & demum è *Sergio* Hiſtorico ſi eum comperirem, quem memorat *Voſſius*.

Verum conatus omnes iſti ceciderunt irriti, & haſce cogitationes depoſui, atque penitus abieci, cùm ſarcina Epiſcopalis muneris, quod ſanctiſſimus Pontifex Leo primus vocauit *onus onerum*, grauitatem ſcilicet illius expertus, mihi tam tenui, tamque impari à Beatiſſimæ memoriæ Pontifice *Vrbano VIII.* fuit ingeſta; occupauit etenim animum Paſtoralis, ſolicitudo, curæque maiores & altiores, atque ſeueriores diſciplinæ, ingenium ab amœnitatibus & deliciis iſtis ablactatum diſtraxerunt; alij ergo lampadem arripuerunt, vtque mihi ſignificauit humaniſſimis litteris egregius vir *Sebaſtianus Cramoiſius*, prodierunt iam in lucem Byzantinæ Hiſtoriæ aliquot volumina iuxta Catalogum præmiſſum typis, cui adiungi poſſunt, quæ ſanctus *Ioannes Patriarcha* Conſtantinopolitanus qui Chryſoſtomus cognominatur, in Epiſtolam ad Philippenſes narrat de Conſtantinopolitanis Imperatoribus quorumque Paraphraſem miſi. Διήγησις præterea ἐκ τῆς παλαιᾶς ἱστορίας obſeſſæ ab Agarenis Conſtantinopolis ſub Heraclio Imperatore in Codice *Vaticano* DCXXXIV. quæ à me olim lecta fuit. *Michaelis Pſelli* opus Hiſtoricum recenſet *Leo Allatius*, Michaelem verò hunc Epheſium, & ὕπατον τῶν φιλοσόφων Cedrenus appellat, Idem *Allatius* Chronicon Ephræm verſibus politicis exaratum, vti *Manaſſis*, laudat; Genealogia fratrum *Comnenorum* Venetiis habitantium, ab Adamo vſque typis impreſſa viſitur

Cap. XV.

Lib. de Pſellis. *pag.* 68. *pag.* 360. *pag.* 42.

viſitur ; Cantacuzenorum verò apud *Demetrium Nicephorum* in libro Græco de Imperatoribus Cantacuzenis manuſcripto Codice Vaticano MMMMDCCLXXXIX. Cedrenus autem *Thomæ Indicoplaſtæ* Hiſtoriam vniuerſalem refert, *Michaelis*, etiam & *Ioannis Beliſſariotarum*, *Nicephori Diaconi Phrygis*, *Demetrij Cyziceni* particularem, *Ioannis* quoque *Traceſij* Protoueſtiarii, *Theodori Daphnopatæ*, *Theodori Siditis* Auguſtani, & *Ioannis Cedreni*, quas omnes inquirere ſedulò, atque conuertendo loculos, & armaria Bibliothecarum rimari, & peruoluendo vetuſta exemplaria inueſtigare, operæ pretium eſſet, vt Hiſtoria Byzantina ſuis omnibus numeris abſolueretur, neque prætermittere decet Iuſtiniani vitam à *Bogomilo* Abbate Monaſterii S. Alexandri in Dardania, tum Epiſcopo Sardicenſe, Litteris, & Characteribus Illyricis ſcriptam, quam ad D. *Cramoiſium* præmiſi, neque Indicem variorum ad Hiſtoriam Conſtantinopolitanam ſpectantium opuſculorum, quem ſicuti mihi liberaliter communicarat ſemper laudandus *Leo Allatius*, ita ingenuè protuli.

Pro modulo meo hæc exilia licet contuli quaſi ſymbola in Sympoſio eruditorum, atque δεῖπνῳ ϲοφιςῶν, quamuis à libris ſatis imparatus, quæ tuo (Clariſſime & Eruditiſſime *Naudae*) ſi probentur calculo, qui doctis omnibus ψῆφος ἀθλῶης, vberrimam opellæ meæ (quantulacumque ea eſt) mercedem me aſſequutum arbitrabor, cœptique quantumuis imperfecti me non pigebit. Vale, vir eruditiſſime, atque clariſſime, meque Tui amantem redama. *Vaſioni* Kalend. Sextilibus CIƆIƆCL.

EIVSDEM
AD EVNDEM.

De Synonymia diuerſorum locorum & fluminum.

DIATRIBA
POSTERIOR.

Clariſſime , ac Eruditiſſime
NAVDÆE.

PRISCIS quidem ſcriptoribus condonari poterat , cùm *Liguriam* Narbonenſis Prouinciæ, *Alpes* Pyrenæis, *Rhodanum* Eridano, *Danubium* Iſtro ita miſcebant vt confunderent; nec enim peruiæ adhuc erant Regiones Orbis, neque Mari tam facilis patebat aditus, rudibus illis ſæculis, vt luſtrarentur gentes , & circuirentur terrarum tractus, atque fluuij & montes qui hos dirimebant ſigillatim explorarentur & dignoſcerentur. *Æſchylus* antiquus Tragœdiarum ſcriptor in ea , quæ inſcribitur Prometheus Lyomenos , Herculem in Liguria dimicaſſe aduerſus incolas, illicque lapidibus pluiſſe fabulatur, eius verſus recenſent Strabo Dionyſius Halycarnaſſæus, & alij complures, floruit Æſchylus Olympiadis 75. anno 9. vt *Euſebius* tradit , id vero certamen in prouincia Narbonenſi contigiſſe aſſerunt *Mela*, *Strabo*, & *Plinius*, campos tamen lapideos, in quibus iſta pugna

commiſſa fuit, locant in Liguria *Solinus*, & *Martianus Capella* recentiores auctores; Hos vt conciliaret *Quinqueranus* Senecẽſis Antiſtites bis conflixiſſe Herculem contendebat. Verum à Græcis vetuſtis Salyas dictos Ligures, regionemque Liguſticam appellatam, quam incolunt Maſſilienſes, rectè à *Strabone* fuit obſeruatum. *Apollonius Rhodius*, in δ'. ἀργοναυτικ. Stæchadas νήσους λιγύστιδας vocat, & poſt oſtia Rhodani Ligures memorat, vixit ille Olympiade 159. At ne Poetas tantum laudem, *Ariſtoteles*, ſeu quis alius auctor libri περὶ θαυμάς. ἀκουσμάτ. Salyas λιγυὰς, & κελτολιγυάς, nuncupat. *Scylax* præterea *Caryandinus* in Geographia, Ligures, & Iberos μίγαδας ad Rhodanum vſque, mox Ligures ſtatuit. Hinc *Æſchylo*, *Apollonio*, *Scylaci* parcendum ob vetuſtatem. Sed *Solinum* & *Capellam* quis tueri poſſit; In tanta luce litterarum, & expolito artibus iam mundo, poſt tot nauigationes & peregrinationes cognita, & enucleata, penitus Europa quis ferat eiuſdem Anteſignanos? Lucanum in verſu,

Et nunc tonſe Ligur,

Plinium & *Florum* vt arguuntur à *Caſaubono* & *Iſaaco Pontano*, niſi forſitan excuſare quiſpiam illos enitatur, quòd ager quidam haud procul Narbone, Liguriæ nomine deſignatus, adhuc æuo Gregorij Turonenſis legatur.

Si Alpes conſcendamus eas cum Pyrenæis confuſas animaduerto identidem, ita vt Alpes pro Pyrenæis, Pyrenæi viciſſim pro Alpibus vſurpentur. *Baſſus* in Epigrammate de Germanico:

Οὔρεα Πυρήναια καὶ αἱ βαθυαγκέες
 Ἄλπεις
 Αἱ Ῥήνου προχοὰς ἐγγὺς ἀποβλέπετε.

Seneca in conſolatione ad Heluiam, Pyrenæum tranſitum Germanorum definit, *Plinius* in Panegyrico ad Traianum Germaniam Pyrenæo Alpibus, aliiſque immenſis montibus muniri, dirimique dixit. Et qui

Diony

Dionyſium Afrum in verſibus 288. & 289.

Τοῖς δ' ἐπὶ Πυρήνην αἶον ὄρος καὶ δώματα Κελτῶν
Ἀγχόθι, πηγάων καλλιῤῥόου ἠριδανοῖο,

Poſt Germanos intellexiſſe putat, nempe *Beatus Rhenanus*, cui *Priſcianus* interpres fauere videtur. *Ceporinus* tamen in notis. Poſt Iberos, ſignificare demonſtrat, Idem *Rhenanus* lib. 3. Rer. German. Pyrenæum montem inter Alpes Rheticas quem occupata Rhetia Germani Premicerum denominarint, poſuit.

Cato Hiſpanos Alpinos apud *A. Gellium* commemorat, qui circa Iberum colunt. *Prudentius* in Hymno de ſancto Laurentio περὶ Στεφάνων canit.

Nos Vaſco Iberus diuidit
Binis remotos Alpibus
Trans Cottianorum Iuga
Trans, & Pyrenas ninguidas.

Didymum & Verinianum tutari priuato præſidio Pyrenæi Alpes molitos narrat *Oroſius* lib. 7. *Auſonius* etiam Cap. 40.
Alpes pro Pyrenæis accipit vti *Paulinus*. Quin *Procopius* lib. 1. de Bello Gotthico hæc ſcribit Ἄλπεις ἐν ὄρει τῷ Πυρήνῃ αἰεὶ οὖσαι, Ἄλπεις ᾗ καλεῖν. τὴν ἐν στενοχωρίᾳ δίοδον οἱ ταύτῃ ἄνθρωποι νενομίκασιν. Addit *Euſtathius* in Dionyſium περιηγητὴν, ſignificare Alpes apud Græcos κλείσουραν, ſeu clûſuram. hinc Alpium cluſuræ *Eginharto*, dictæ, ſed de Alpium cum Pyrenæis confuſione præcerpſerunt *Lipſius* in Commentario ad Plinij Panegyricum & *Ioſ. Scaliger* Lectionum Auſonian. cap. 16. lib. 2.

Vt Ῥόδανος & Ἠρίδανος confundantur efficit inſuper ipſa ſynonymia. Certe Ῥόδανος ille apud inferos in Odyſſea *Homeri*, nihil aliud quam Occidentalium partium fluuius, quem Ἠρίδανον totidem fere litteris vocarunt alij. Hinc Eridanum in Iberia, hoc eſt in Hiſpania eſſe dixit, eumdemque appellari Rodanum *Æſchylus*, *Euripides* rurſus, & *Apollonius* in Hadriatico littore confluere Padum, & Rodanum, vti notat *Plinius* lib. 3. cap. 2. Hiſt. Natural. qui facilis ad veniam errantibus circa

ſuccini natales, in tanta orbis ignorantia. *Pauſanias*,qui Adriano Auguſto imperante clarus fuit, in Attica ſeu lib. 1. Eridanum fines Gallorum perlabi prodit, Phauorinum Philoſophum ortum vrbe Arelatenſe in Gallia Heſperia ad Eridanum *Philoſtratus* tradidit in vita Sophiſtarum ,id eſt , Rhodanum, ita notat *Alciatus* in L. Spadonum D. de verbor. ſignificat. additque putaſſe Græcos Eridanum etiam fluere in Galliam Narbonenſem, & Rhodanum efficere, teſte Apollonij *Rhodij Scholiaſte* in δ΄. Αργοναύτ. oſtendit *Oppianus* lib. 3. ἀλιευτίχων Eridanum à Græcis quoque dici, qui apud nos Rhodanus eſt, *Procopius* lib. 1. de Bello Gotthico paſſim Gallias τὰς ἐντὸς Ηριδανοῦ ποταμοῦ & ἔκτος Ηριδάνου refert à Francis,Gotthis & Vviſigotthis diuiſas poſſeſſaſque. *Tzetzes*. Ioſ. *Scaliger* epiſt. 276 lib. 3. & *Rutgerſius* cap.4.lib.6.Var.Lect Rhodani,& Eridani ſynonymiam comprobant. Ad Danubium porro gradiendum ,qui ortus in Germania è iugis Abnobæ montis , vt *Plinius* lib. 4. cap. 12. affirmat ; Ρἡνῳ δ᾽ ἐπ ἐξείης ἐπιτέλλεται ἱερὸς ἴϛρος. *Dionyſio* Afro auctore in περιηγ. è Celtarum montibus defluit Danubius , vt ſcribt *Procopius*. lib.4. de Iuſtiniani ædific. pag. 84. ἴϛρος γὰρ ποταμὸς ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν καὶ Πυρρήνης πόλιος ῥέει χιζοντὴν Εὐρώπην. *Diodoro Siculo* teſte. *Caſarius* frater Nazianzeni putat Danubium vnum eſſe ex Paradiſi fluminibus,eum nempe, quem ſacræ litteræ Phiſon appellant,licet ineptias opinetur *Ortelius* in Theſauro Geographico;illius πελάγος vti traiiciant Scythæ, narrat *Nicetas* Choniates in Manuele Comneno , quia ſe in tam vaſtum diffundit ſpatium vt Πέλαγος id eſt , mare videatur , ſic Eridanus in oſtiis,

Pelago premit arua ſonanti,

Virgilio in 1. Æneid. accinente, illa 7. maria vocantur à *Plinio* c.16. lib. 3. Hiſt. & ἑπτὰ πελάγη ab ἐπιχωρίοις, vti

vti prodidit *Herodianus* lib. 8. Hiſt. *Seruius* ex Varrone eadem ab accolis mare vocitari adnotat. Danubius inquam ita dictus ad Axiopolim vſque, vbi nomine mutato appellatur Iſter auctore *Ptolomæo.* l. 3. in *μυσίας τῆς κάτω θέσει* ſiue vſque ad Catarractas *Strabone* atteſtan- pag. 150.
te lib. 7. Geograph. & lib 2. Vnde binominem illum pag. 112.
vocitat *Silius* Italicus, Eratoſthenes Iſtrum diuiſum in Pontum, Adriamque confluere ſenſit, errans cum pag. 88.
coæuis, qui fluuium Iſtro cognominem in Adriam exi- pag. 220.
re ab Iſtro diuulſum, & nomen Iſtris populis dare, perque illum è Colchis reducem Iaſonem nauigaſſe credebant. Sed refellit illos *Strabo* lib. 1. Scripſerat tamen in libro de portubus *Timagenes* Iſtrum è montibus Cel- pag. 39.
ticis, ſiue Hyperboreis vocatis, ſiue Riphæis defluere bifariam diuiſum; illinc in mare Euxinum, inde Celticum, perque eius oſtium Argonautas nauigaſſe in Thyrreniam. *Natalis Comes* retulit lib 6. Mythologiæ: Iſtriam Italiæ Prouinciam cognominatam *à flumine* pag. 589.
Iſtro in Adriam effluente è Danubio amne, eodemque Iſtro ex aduerſo Padi fauces, contrario eorum percuſſu, mari interiecto dulceſcente plerique dixere falſo, & nepos Cornelius etiam Padi accola, nullus enim ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur. Deceptos credo quoniam Argo Nauis flumine in mare Adriaticum deſcendit, non procul Tergeſte, nec iam conſtat quo flumine. Humeris tranſuectam Alpes diligentiores tradunt, ſubiiſſe autem Iſtro, dein Sao, dein Nauporto, cui nomen ea cauſſa eſt inter Æmonam, Alpeſque exorienti. Hæc *Plinius* cap. 18. lib. 3. Iſtrum fluuium Iſtriæ in Pontum influere, atque in Egyptum *Marcia-* pag. 115.
nus Heracleotes in periegeſi autumat. Danubium qui iam dictus eſt Iſter, per Iſtros emitti *Mela* cap. 3. lib. 2. quem *Ioannes Oliuarius* reiicit cap. 1. lib. 2. & *Vadianus* pag. 86.
qui de illo agit fuſe, vtque *Herodotus* in Celtis & Pyrenæis iugis Iſtrum oriri ſenſit, *Volaterran.* libro 4 Geograph. hæc recenſet, & ſubiungit Euſtathium arbitra- pag. 38.
ri Iſtrum eo tempore liberum habuiſſe aditum ad ma-

re Adriaticum, poſtea præcluſum, ſiue alueum mutatum Sed apud *Euſtathium* in Commentario ad περιηγητὴν comperi *Ariſtotelem* ſequutum opinionem ſupraſcriptam quorumdam, à Geographo, (ita *Strabonem* κατ' ἐξοχὴν videtur appellare) relatam, ſcripſiſſe ſolos Trichias piſces è Ponto in Iſtrum, ex Iſtro in Adriaticum migrare ſinum: Itaque liquet quam confuſa fuerint Liguriæ, Alpium, Pyrenæorum, Rhodani, Eridani, Iſtri, Danubiique nomina, non ſolum ab antiquis ob inſcitiam, verum etiam à poſteris propter incuriam & oſcitantiam. Sed modum excedit Epiſtola & longius prouehor æſtu quodam amoris abreptus, dum tecum confabulari mihi ipſe videor, Deſinam igitur & ſi meas haſce notulas per Satyram quaſi collectas tibi gratas intellexero, deinceps in his congerendis, Tibique ſuggerendis pergam, at Tu me redamare perge, qui Te doctrinæ, virtutis, & Eminentiſſimi Mæcenatis Cardinalis à *Balneo* ergo, amabo æternum. Vale *Vaſione* Kal, Iuniis CIↃ IↃ CXL.

ADM. REV. PATRI
BERNARDINO ERETINO
Sacræ Theologiæ Doctori Ordinis Seraphici S. Franciſci Min. Conu.
EMINENTISSIMI PRINCIPIS
CAROLI S.R.E. CARDINALIS BARBERINI
THEOLOGO.

IOSEPHVS MARIA SVARESIVS Epiſcopus Vaſionenſis S. P. D.

Adm. Reu. Pater

ERETI, clariſſimi Sabinorum oppidi, quod eſt in Excellentiſſimi Principis Barberini ditione, antiqua monumenta perquiſita litteris commendare iamdudum cogitabam; iamque plurima congeſſeram vetuſtis è ſcriptoribus teſtimonia, qui Iunonem Eretinam, frigidum amnem Eretini agri, Figlinas Eretinas, Valerij villam prope Eretum, Aedilem Ereti honore Italo ſupinum iniquas heminas frangentem, Caſtra Nautij Romani Conſulis, & Sabinorum prælium ad Eretum celebrant; Titum Liuium, Virgilium, Strabonem, Tibullum, Valerium, Perſium, Seruium, Plinium, Fulgentium, Stephanum, Gobelinum etiam, qui Pium II. ibi pernoctaſſe prodit, Volaterranum, Iouium, alioſque peruolueram; & aſſurrexerat opus ad iuſtam molem; ſed hoc cœptum varij caſus interruperunt. Vt tamen aliquod mei conatus extet indicium, ad Te (decus Ereti maximum) quod erat à me repertum perſcribere conſtitui, atque adeo Ciuem Ereto, Tibiq; popularem, Pontificem Romanum vindicare, quem ademerant operæ in editione quoque repetita Ciaconij de Vit. Pontif. & EREBO, non minus impiè quàm mendoſè atque imperitè, tranſcripſerant.

Is eſt LANDVS, ſiue LANDO, Tammi filius. Teutonicum idioma nomina iſta ſapiunt: nam & *Tammus* Teutonicus in delicijs fuiſſe Othonis III. Auguſti, narratur à Petro Damiani in Vita S. Romualdi c. 25. *Landi* verò, ſeù *Landonis* vox Teutonica vel Langobardica eſt pura puta, meminique me olim Anagniæ circum ſedile marmoreum in S. Andreæ legiſſe Leoninum hunc verſum

PRESVL HONORANDVS OPVS HOC DAT NOMINE LANDVS.

Antiſtitem autem Romanum *Landum* poſt Anaſtaſij III. obitum anno à Partu Virg. DCCCCXIII. electum die VII. Idus Iunij, ſediſſe menſes VI. dies XXXVI. ſeu XXVI. ceſſaſſeque illo demortuo Epiſcopatum diebus XXXVI. ſeù XXVI. & Ioannem X. illi fuiſſe ſuffectum Chronographi omnes conſentiunt; niſi quod Hieronymus Rubeus in Hiſt. Rauenn. producit Landi vitam è diplomate ad annum à nato Chriſto DCCCCXIV. Romanum *Landum* aſſerunt Platina, Volaterranus, Philippus Bergomas, & Crantzius: ea quippe ætate qui locabantur in Sede S. Petri Præſules, ferè omnes erant in ipſa Vrbe orti; perque integrum ſæculum & quod excurrit, è XXXVII. vix Galeſini duo; Conſtantinus nempe, atque Romanus; Portuenſis vnus, videlicet Formoſus; vnus Ardeatinus Leo V. & vnus Eretinus Landus, inter reliquos Romæ genitos peregrini, & externi Pontifices, quamuis haud procul Vrbe forent nati, enumerantur.

Landum profecto Eretinum euincunt Sanctus Antoninus, qui Sabinenſem affirmat tom. 2. cap. 1. tit. 16. §. 15. Chronic. & ipſe Ciaconius Sabinum patria Ereto è Canonico Regulari prouectum ad Pontificium Solium referens è Gulielmo Bibliothecario, & Gotthefredo, atque Martino. Mox etſi obſcuram eius vitam innuat, ita vt Vincentius illum omiſerit in Pontificum Catalogo, ipſius tamen auctoritate Berengarium & Rodulfum, Vidonis Comitis filios, ne decertarent, compreſſos atque ſedatos memorat: at cum eum vixiſſe ſtatuat Chunrado Cæſare Franco Imperium adminiſtrante, fœdas ibi ſubeſſe ἀνιστορησίας, & ἀχρονισμοὺς, Podalirium Machaônemque haud vulgarem exigere plane conſtat, neque mihi nunc à libris imparato, & in procinctu, vacat detergere has maculas; ſollicitet ea cura viros doctos, qui Ciaconium recudendum ſuſceperunt,